



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Codex traditionvm Corbeiensivm**

**Falcke, Johann Friedrich**

**Lipsiae ; Gvelpherbyti, 1752**

§. 32. De traditis mansis in villa Bracu in pago Huuetigo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36114**

re et filiis et in *biueran* (r) mansum unum et hominem cum uxore et filiis testef rainuerc marcobodu gichi esic aldmer eddic balding brunger uuilhelm.

guber-  
nante  
Corbe-  
iam Wa-  
rino.

## §. 32.

Tradidit theodhardus in pago *huuetigo* (s) in uilla nuncupante *bracu* (t) mansos duos cum filiis testef oio hauuard helmulfus ico adedger heriuuard.

## §. 33.

Tradidit folcbold pro patre suo hildiboldo quidquid habuit in uilla nuncupante *budinifeld* in pago *logne* (u) similiter quidquid habuit in uilla

am-

pagus *Auga* reperiebatur, in praesens inuenitur, cuius nomen quandam similitudinem cum villa nostra habet. Quodsi autem ex nobis rescire desideras, quoniam in loco haec villa olim steterit, tunc negamus, illud nos certo scire. Diu sane nos vexasse hanc villam, noctesque atque dies in situm eiusdem nos studiose inquisuisse fatemur. Sed, oleum atque operam nos perdidisse, negare non possumus. Tandem in mentem venit locus quidam, non procul a vico Luchteringen ad Wiseram obuius, qui appellatur *Haglbeck* seu *Hekelbeck*, qui nobis suspicionem attulit, quondam ibidem villam *Haslbechi* existisse.

- (r) Villam *Biueran* quoque spectasse ad pagum *Auga*, refert Saracho abbas in suo *Registro*. Nullum itaque dubium erit, intelligi, oppidulum *Beuren*, olim in comitatu Euersteinensi, hodie autem in ducatu Brunluicensi situm ad fluuium dictum *die Beuer*, qui inter oppidum *Holtzmindam* et praefecturam *Forst* influit *Wiseram*. Cum autem hic locus, aequae ac villa *Haslbechi*, iaceat cis *Wiseram*, inde patescit, pagum *Auga* quondam in vtraque *Vifurgis* ripa existisse. Mansum, quem *Redman* in villa *Biueran* tradidit ecclesiae Corbeiensis, ab eadem ecclesia quondam domini, *de Frencken* dicti, in feudo tenere, iam habent generosissimi nobilesque viri *de Haken*, in vico *Ohren*, haud procul ab vrbe *Hamela* sito, habitantes.
- (s) De pago *Huuetigo*, quondam in comitatu Pymontano et ditone Swalenbergenfi reperiundo, vide supra §. 3. not. (c)
- (t) *Bracu* (non *Bracii*, qui error typhotheta est in *Originibus Pymont.* p. 4.) olim erat vnum *Vorewerck*, spectans ad villam *Liuthi*, seu *Alten Lude*, hodie desolatam, quam caue ne confundas cum oppido *Lude*, iter dimidiae horae sito ab acidulis Pymontanis.
- (u) Situm villae *Budinifeld* exploraturis prius in situm pagi *Logne* inquirendum est. Primo autem hunc pagum probe discernendum esse censemus a pago *Loingo*, qui existit in Frisia orientali, de quo egimus supra §. 8, deinde a pago *Loingo*, in terris ducatus *Lunenburgici* obuiis, et denique a pago *Logingaba* seu *Lognacogwe* in *Hassia* ad fluuium *Logana*, hodie dictum *die Labne*. Passim huius vicini pagi meminere Traditiones *Fuldenses*. Id a scopo nostro non alienum esse videtur, si villas, in illis pagis olim conspicuas, ordine qualicumque enumerauerimus. Tradidit scilicet anno 821 *Waltrata*, *Adriani* vidua relicta, in pago, qui dicitur inferior *Lognabi*, quidquid visa est habere in *Feldum*, in *Wilare*, in *Barnbehibu*, in *Setim*, et vnum *bisang* in littore *Huuilinu* et in marcu villarum *Setim* et *Feldum* quaedam mancipia, testante Corpore *Trad. Fuld. Schannati* p. 133. seq. Anno 824 *Waltrat* (probabilissime eadem femina) et *Voto* tradunt in pago, qui dicitur inferior *Lognabi*, in *Feldum*, in *Wilare*, in *Barnbebbiu*, in *Setim*, et vnum *bisang* in litore *Vuilinii*, in marcu villarum *Setum* et *Feldum* quidquid visi sunt habere l. c. p. 145. Porro anno 831 pago *Logenabe* tribuitur villa *Sualbach*, in qua quondam viri nobiles *Appo* et *Suiker* commorati bona quaedam *Fuldensi* monasterio tradidisse dicuntur p. 161. seq. Anno 912 *Cbuonradus* rex praefato illi monasterio ob preces intercedentes genitricis suae *Glimuoda* quaedam res iuris sui et paterne hereditatis in pago, *Hustin* dicto, et in comitatu *Badonis* sitas, id est, curtem *Dribura* nuncupatam cum curtilibus atque omnibus appenditiis ea ratione in proprium donauit, ut praefata genitrix sua a monasterio *Fuldensi* in pago, *LOGNACOGWE* appellato, in comitatu *Ortonis* fratris sui, loca, qua vocantur *Mittiu*, *Alin*.

De villa  
Biueran.

De pago  
Hueti-  
go.  
De villa  
Bracu.

De villa  
Bunifeld,  
et pago  
Logne.